



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXVII. Quomodo illubenter foras exiverit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T XXVII.

Quomodo illubenter foras exiiverit.

PRoinde huic devoto Patri egressus ejus foras Monasterium satis gravis erat, noverat enim se alium reversum, quàm exierat, cum verò necessitate compulsus exire deberet, à suo Procuratore velut communis Frater nummos pro itineris sumptibus humiliter sibi donari postulavit; in itinere constitutus, dum crucem stare cerneret circa viam, speciali devotione permotus pro animabus defunctorum Dominum DEUM attentius exoravit, quando enim orabat, semper cum attentione, & quasi cum columbino gemitu orationem depromere consueverat.

C A P U T XXVIII.

*Quomodo tempore famis pauperibus largiter dedit,
nec ob hoc minùs habuit.*

Insuper prædictus Prior specialis pauperum amator propter Christum fuit; tempore namque famis, quæ Diæcesin Paderbornensem validâ inopiâ pressit, cum unus modius siliginis pro duabus marcis ibi emebatur, præfatus Prior per donum DEI satis siliginis in Granarijs suis habens, ac indigentibus hominibus misericordiam præstare volens, sua Granaria aperiri fecit ordinavitque, quòd singulis adventantibus siligo venderetur, non tamen per integra mol-dra, sed per modios & scepelinos, ita ut non paucis sed multis penuriam sustinentibus ad inopiæ temperamentum subveniret. Idem etiam Prior misericordiâ permotus in pauperes noluit, quòd prædicta siliginis venditio apud se tam pretiosa fieret, quemadmodum prædivites & tenaces homines eam tunc temporis vendebant, sicque factum fuit, ut modium siliginis, quem divites pro octo solidis vendere consueverunt, præfatus Prior pro sex solidis sibi persolvi fecerit; interim, dum ista pietatis opera in præfato fierent

Mona-